



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Philippvs Et Iacobvs Apost. 1. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

April.

1. Maij. Vite SANCTORVM. 213



SS. PHILIPPVS ET IACOBVS
APOST. 1, Maij.

G Emino dies hic soleniter. PHILIPPVS alter,
alter IACOBVS est. ille vix inter hominum
piscatores adlectus, captum illico ad CHRISTVM
K Natha-

Nathanalem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & iij, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad IESVM aditum sibi per PHILIPPVM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cùm ingenti multititudini commeatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cùm in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse noctus Scythiam, eam facilè CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapolis urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cùm lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris, de Iudeis IACOBUS fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longà precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut ingredi in sanctiora templi adyta uni illi liceret; & vel oram vestis ejus prehendere, partem felicitatis ducerent. Ita rem Hierosolymæ Christianam cùm XXX. annos administrasset, anno partæ salutis LXIII. vitæ XCVI è templi vestigio dejectus, & inter preces, quas pro hostiis suis faciebat, fuste fullonis cæsus est: ut jam me dubium uterque hic Sol faciat, orbine luxerit, an Cælo occiderit pulchrior. Ex Brev. Rom.

Nos quoque timore Domini crucifixos oportet hic omnibus non solum carnalibus vitiis, verūmetiam ipsis elementis mortuos esse; illuc habentes oculos anime nostra defixos, quò nos speramus momentis singulis migraturos. Cassian. l. 4. de Inst. Renunc. c. 35.

S.SIGIS.